





Fortes Creātur Fortibus
Nec imbellem progenerant Aquilæ columbam. Hor.
Theatrum Virtutis
et Honoris Augustis Magnorū
Cæsarū Filiis
à Rhetorica Viennensi
Extructum
Joañ Franck de Langgraff fecit



THEATRUM VIRTUTIS ET HONORIS, AUGUSTIS MAGNORUM CÆSARUM FILIIS

AB

AUGUSTISSIMIS PARENTIBUS AD IMPERIUM DESTINATIS EXSTRUCTUM,

ET

ILLUSTRISSIMIS, PERILLUSTRIBUS, REVERENDIS, RELIGIOSIS, PRÆNOBILIBUS, NOBILIBUS, AC DOCTISSIMIS DD. AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ

DOCTORIBUS,

PER

R. P. WOLFGANGUM PLÖKNER
è Societate Jesu, AA. LL. & Philoſophiæ Doctorem, ejuſdémque Profeſſorem emeritum, ac p. t. Seniorem, Conſiſtorialem,

In Aula Academica ſolenni ritu creatis

AB

Illuſtriſſima Rhetorica Viennenſi dedicatum,

Menſe Julio, Anno M. DC. XCVII.

Viennæ Auſtriæ, Typis Matthiæ Siſchowitz, Univerſitatis Typogr.

ILLUSTRISSIMI, PERILLUSTRES, REVERENDI, RELIGIOSI, PRÆNOBILES, NOBILES, AC DOCTISSIMI

DD. NEO-DOCTORES.



Um Vos ſapientiâ & virtute conſpicuos
In publicam gloriæ Scenam Philoſophia educit,
Eloquentia noſtra
Theatrum Virtutis & Honoris pandit.
In quo
Dum Auguſtis Magnorum Cæſarum Filijs apparat ſpectacula,
Laureatis Philoſophis
Reportatos in arena litteraria triumphos cupit adumbrari.
Quanquam non ſolam, ut Vobis applaudat, Eloquentiam ablegamus.
Geminas illi adjungimus comites,
Ut novum efficiamus chorum Gratiarum, vobis idcircò gratiorem,
Quòd illæ ſint ſcientiæ, Vos verò ſapientes.
Una eſt Ethica, quæ mentem imbuit virtutis honeſtate;
Altera eſt Poëſis, quæ recreat carminis ſuavitate;
Dum Eloquentia perſuadet rerum & verborum dignitate.
Huic ſoli quidem incumbit ex officio,
Ut doceat, delectet, & moveat;
Noluimus tamen omnia uni committere,
Ne videremur ſocias ſpernere, cum quibus fœdus inijt,
Olim quidem cum Poëtica, nuper verò cum Ethica.
Accedit,
Quòd optimo conſilio ab Ethica humanitatem accipere
Rhetorica voluerit,
Ut Philoſophis placeret Auſtriacis;
Et pedes à Poëtica mutuari,
Ut Peripateticos ad Lauream properantes inſequi poſſet.
Si non aſſequitur,
Id non illius voluntati, ſed veſtræ tribuatis velocitati.
Interim
Poſt emenſum ſtadium Philoſophicum ſub Lauri frondibus
Quieſcite, vivite, valete!
Ita precantur Honori veſtro addictiſſimi
RHETORES VIENNENSES.

Leopoldus Carolus S. R. I. Comes à Zinzendorff, S.C.M. Epheb.

Wenceslaus S. R. I. Comes de Purgſtall, S.C.M. Epheb.

Lucius Marchio de Malvetijs, S. C.M. Epheb.

Franciſcus Carolus S. R. I. Comes à Pőtting, S. C. M. Epheb.

Julius Cæſar Comes Dottori S. R. M. Epheb.

Franciſcus Antonius S. R. I. Comes de Weiſſenwolff.

Leopoldus Chriſtophorus Caſimirus S. R. I. Comes de Schallenberg.

Sigiſmundus Comes Szécsényi.

Bernardus Gerardus Joachimus L. B. de Bourſcheidt, ex Cæſ. Convict. Colleg.

Carolus Joſephus Sebaſtianus L. B. de Pergen, ex Cæſ. Convict. Coll.

Ferdinandus Joannes L. B. de Pergen.

Joſephus Ignatius Albrecht ab Albrechtsburg, Provincialis.

Joſephus Julius Hőrman, Provincialis.

Anſelmus Franciſcus de Schwanenfeldt S. R. I. Eques.

Ferdinandus Antonius Adalbertus de Lafferdt, Eques Sileſiæ.

Joannes Chriſtophorus à Rumerskirch, Eques Bohemiæ.

PRÆNOBILES.

ANtonius Marcus Antonioletti.

Antonius Theophilus à Griensfels.

Carolus Joſephus, à Raidegg.

Franciſcus Joſephus Leopold. Lacam.

Franciſcus Ludovicus Breitter.

Franciſcus Philippus Joſephus de Bertram.

Georgius Ludovicus Kirchſtetter.

Ignatius Franciſcus Schweiger.

Joannes Dominicus Mittermayr de Waſſenberg.

Joannes Ferdinandus Leopoldus Gräbner, à Grabenfeldt.

Joannes Joſephus à Schmerling.

Joannes Petrus Ignatius Kirchſtetter.


Joſephus Ignatius Lauch.

Joſephus Paulus Pock.

NOBILES.

ANtonius Ferdinandus Schinnagl.

Antonius Nicolaus Grieblbaur.



FLA-

FLAVIUS JULIUS CRISPUS CONSTANTINI MAGNI CÆSARIS NON MINOR FILIUS;

A Lactantio Firmiano celeberrrimo Oratore
Salubri institutionis lacte, teneris firmatus in annis;
A Parente primo Orthodoxo Imperatore
Eximijs pietatis & fortitudinis exemplis,
Veluti cibo solidiori ad grandia roboratus;
Ipsa in Adolescentia excrevit in Virum:
Ætatis in flore maturos protulit fructus:
Et documenta dedit,
Quòd CONSTANTINI MAGNI sit origine natus;
Dignus Parente Filius, Filio Pater.
Sed jam tempus erat, ut eodem cum Patre niteret honore,
Qui jam pari fulgebat virtute.
Anno igitur CHRISTI nati tercentesimo decimo septimo,
CONSTANTINI imperantis duodecimo creatus est AUGUSTUS.
Cujus mensuram nominis ut impleret,
Victorijs Romanum studuit augere Imperium.
Primus gloriæ campus fuit Alemannia,
Semper Heroum vel patria, vel palæstra;
Quæ CRISPI sudoribus irrigata progerminavit laureas,
Et amavit victorem, quem timuit bellatorem.
Alter fuit Asia, in qua justum exercuit odium contra Amandum,
Qui & suo nomine, & alterius amore indignum se reddiderat,
Quòd amaro in Christianos esset animo.
In hunc ergo dum movit, & ventis afflantibus, & Superis aspirantibus;
Vitreo in elemento fortunam fragilem,
Mutabili in oceano victoriam hosti labilem fecit.
Classem inimicam impegit in scopulos,
Et fregit animorum pertinaciam;
Adversas acies submersit in undis,
Et sanguineam in hoste sitim exstinxit,
Gloriosus ex una parte CRISPUS victor Amandi,

 Dum

Dum ex altera CONSTANTINUS de Licinio triumpharet.
Ita Parentem & Filium dignitas pares, belli justitia similes,
Felicitas & Victoria fecit æquales.
Sed qui pacem foris instauravit, bella domi invenit;
Qui devicit exteros, inimicos expertus est domesticos.
Prostrato hostium furore, pugnandum fuit cum novercæ amore:
Vincere tamen non potuit CRISPUM, qui omnia vincit amor.
Induratus militari robore animus
Nec ad Cypridis ignes potuit emolliri.
Martis arma bene novit tractare;
Arcus & sagittas Cupidinis ignoravit.
Ad hostiles incursus intrepidus, sceleris mentione est territus,
Malens vitam perdere, quàm pudorem,
Et honestè potiùs cadere, quàm turpiter agere.
Quanquam sic Victor extitit longè maximus;
Quia post reportatas ab alijs victorias vicit seipsum.
Jam ergo Novercæ gravis, quia levis esse nolebat,
Faustæ criminationibus accusatur ùt nocens,
Qui ipsa erat innocentia;
Tandémque ferro interimitur Princeps auro pretiosior,
Dignus, ut diutiùs inter mortales viveret,
Nisi jam animi candore immortalitatem meruisset.
Jo! CRISPE triumpha!
Cadendo, quàm stando gloriosior,
Hercule in bello fortior, Hippolyto domi constantior,
Furoris domitor & amoris!
Ut laurus, sic tua virtus noxæ nescia sordidæ
Intaminatis crescet honoribus;
Tuúmque nomen nive candidius
Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.
Sed væ tibi Fausta!
Sæpè in magistrum scelera redierunt sua.
Mox vitam cum nomine infaustâ morte amittes,
Et sanguinem innocenter profusum ardentibus balneis elues,
Tuúmque scelus stygio carbone deformius
Clamantes tenebrosa ferent ad Tartara corvi.

FL.

FL. JULIO CRISPO FAUSTÆ NOVERCÆ INSANE AMANTIS VICTORI.



Ille ille Victor Vincitur, mæret, Dolet Senec:

Anteros, ſeu Anti-Cupido Marte genitus, Erotem, ſeu Cupidinem vincens exhibetur.

Anteros. Cupido. Chorus Muſarum.

Ant. IMbellis, excors, improbe! an nec tu novum
Ciere bellum Martiæ proli times?
Sic me laceſſis? vulnus intento mihi
Minaris arcu? ſiccine optatam putas
Te poſſe laurum ferre, mollito mei

Cordis rigore? Falleris. Nunquam levis
Penetrabis ictu ſpiculi, nunquam tuis
Franges ſagittis pectus hoc ſolido magis
Adamante firmum. *Cup.* Cede; vel domitus meis
Jacebis armis. Tela, quæ pharetrâ gero,
Penetrare nôrunt intimos cordis ſinus.
Vis eſt Amoris maxima; & polo & ſolo
Jus dictat ille. Nemo bellantem poteſt
Superare Amorem; cuncta debellat ſuo
Arcu vel igne. Eſt fortior cunctis Amor.

Ant. Nil eſt Amore imbellius. Vitio favens
Turpis libido nomen invicti dedit.
Amore vinci mentis ignavæ eſt nimis.

Cupid. Docui Cupido Victor, indomita omnia
Amore vinci poſſe: nec fortes pudet
Subeſſe Amori. *Ant.* Nempe diſcrimen leve eſt
Amantis, ac amentis; agnoſcit ſuum
Neuter pudorem, *Cup.* Sponte da victas manus,
Blandóque Amori cede, ne fiat furor.

Ant. Furore vinci maximum ſæpè eſt decus:
Inſano Amori cedere eſt ſummum probrum.

Cup. Ni cedis, arcum tendo, & Idalias vibro
In te ſagittas; ictus in terram rues.

Ant. Non cedo; tela rideo; & forti manu
Diſtringo ferrum: victus en humi jaces.
Non eſt Amoris ſumma vis; vinci poteſt.

Chor. Muſ. Reſonet pæan! ter jo pæan!
Animo fortis, dextráque potens
Martia proles vicit Amorem;
Arcum repulit, teláque fregit;
Iram domuit, vimque ſubegit.
Reſonet pæan! ter jo pæan!
Qui victores vicerat antè,
Spicula torquens, ignibus urens,
Jam devictus procumbit humi;
Omnia vincens eſt victus Amor.
Reſonet pæan! ter jo pæan!

FL.

FL. JULII CRISPI TESSERA:
IRATUS HOMO, NON HOMO.

IRâ, ſi modum ſervet, nihil præſtantius, ſi excedat limites, dete-
rius nihil. Neceſſaria quidem eſt ex mente Ariſtotelis; quia, niſi
lla impleat animum, &accendat ſpiritum, vix quidquam expugna-
i poteſt. Eâdem tamen utendum eſt, non ut duce, ſed ut milite.
ſequi debet, non præcedere rationis dictamen. Intellectûs eſt re-
gere, iracundiæ obtemperare. Niſi hæc illius ampleċtatur conſilium,
il niſi funeſtum parabit exitium. Non bellum erit, ſed latrocinium;
ion pugna, ſed clades; non honeſta victoria, ſed tyrannis barbari-
a, ubi illa cæterorum affectuum ducet exercitum. Quemadmo-
lum *Dijs proximus ille eſt, quem ratio, non ira movet*; (a) ita belluis
ffinis eſt, cui ira, non ratio dominatur. *Ferini enim ira eſt ingenij,*
it cenſet Euripides; à Baſilio verò *animæ ebrietas, & Fera truculenta* no-
ninatur. Oris, quæſo, tui, corporiſque habitum in ſpeculo contem-
plare, quando nimio effervеſcis furore. Micas oculis, ardes genis,
re ſpumas, voce ſtrides, frendes dentibus, ſupercilia erigis, horres
apillis, complodis manus, pedibus humum pulſas, curris, recurris,
vociferaris, tumultuaris, corpus varijs diſtorques modis, horridáſ-
que ingenti fremitu minas intentas, funera ſpiras, cædes machinaris.
Quid quæſo in hac tota forma humanum eſt? An domi jus dictat
lominatrix Ratio, quando ſic famulæ Potentiæ debacchantur? Ira
velut rabidus canis eſt; niſi catenâ vincias, obvios quoſque latratu im-
petet, morſu ſauciabit. Equus eſt; niſi fræno coërceas, ſeſſorem
pſum facilè exturbabit. Leo eſt; niſi cicurem reddas, quò eſt for-
tior, eò erit crudelior. Nunquam tantas habuiſſet orbis tragœdias,
niſi Furor cothurnum induiſſet. Nunquam tot florentiſſimæ urbes &
Provinciæ abijſſent in cineres, niſi immodicus animi effervеſcentis ar-
dor prorupiſſet in incendia. Nunquam violentâ morte proſtrati eun-
dem in tumulum concidiſſent Reges & ſubditi, niſi truculento Marte

 armata

(a) *Claud. in Manl. conſ.*

armata rabies insanos excitasset tumultus,& more belluino in homines sævijsset. Alexander Macedo Callistheni, alijsque familiaribus vitæ lucem non ademisset, nisi priùs rationis lumini iracundia tenebras offudisset. Neque Theodosius Imperator in sanguineam Thessalonicensium innocentium cædem prolapsus fuisset, nisi præceps furor mentem vertigine rotâsset. Hic tamen expiavit pœnitentiâ, quod deliquit iracundiâ, illustrius deinceps semper exemplum mansuetæ humanitatis, quàm semel fuerat barbaræ feritatis. Imò, ne rursus fera erumperet, alienis forsan irritata vitijs,eam fortiori alligavit vinculo, dum legem statuit, ne sententia de bonorum publicatione, aut cæde hominum prolata ante diem trigesimum sortiretur effectum. Dignum sanè authore Ambrosio, executore Theodosio statutum! *Potest enim semper pœna dilata exigi, non potest exacta revocari. Optimum iræ remedium mora est,* ut inquit Seneca Ethicus. (b) cui consentit Tragœdus: *Da tempus ac spatium tibi: quod ratio nequijt, sæpè sanavit mora.* (c) Quòd si iram nullo modo potes frænare, quâ ratione audebis regnare? Rex esse non poteris,nisi priùs regas teipsum; neque imperium tenere in alios,nisi tibi didiceris imperare. Si immanitate vel feras ipsas terrere posses, quomodo hominum animos tibi devincies? Quì dignus eris subditorum obsequio, si indignum te reddis humano consortio! Furijs inter inferos Poëtæ locum dederunt; mitiores Deas ad Parnassum, vel sidera extulerunt. Ipsa veritatis testis historia cruentos Nerones, sævientes Diocletianos detestatur; clementes Titos, mansuetos Trajanos commendat. Ara refugij, Princeps sit oportet: quis illuc supplex accedet, si Jovem timeat fulminantem, condonantem nunquam speret? Portus sit: quis illuc fluctuantem appellet naviculam, si novam exspectet tempestatem! Medicum ad procurandam Reipublicæ salutem constitutum se meminerit: quis veniet petiturus remedium, si graviora vulnera pertimescat? sapientissimum profectò Aureliani Cæsaris symbolum est. *Quò major, eò placabilior.* Sic enim non tantùm hominibus, sed seipso major Rex erit, superisque fiet æqualis. Atque hoc est, quod Poëta Claudianus Honorio Cæsari occinuit:

> *Sis pius imprimis; nam cùm vincamur in omni*
> *Munere, sola Deos æquat clementia nobis.* (d)

AR-

(b) *Sen. l. 2. de ira.* (c) *Sen. in Agam.* (d) *Claud. de 4. Hon. cons.*

ARCADIUS ET HONORIUS THEODOSII MAGNI CÆSARIS FILII,

CUm ſanguine virtutem traxêre à Parente;
Ut meritò dubitare poſſis,
An ad præclara facinora ex pijſſimo Imperatore nati,
Vel optimâ Arſenij inſtitutione fuerint efformati.
ARCADIUS tenera in ætate flori omninò ſimilis,
Anno CCCLXXXIII. ipſa in hyeme ampliùs cœpit vernare,
Quando à Patre in quintum annum imperante
XVII. Calend. Februar. Cæſar eſt appellatus.
Quem poſt decennium ſecutus eſt HONORIUS,
Ne nomen inane gereret,
XI. Calend. Decemb. ejuſdem conſors honoris factus;
Opportuno ſanè conſilio,
Ut tum novum in Imperio lumen accenderetur,
Cùm Sol in cœlo horrendâ eclipſi involveretur.
THEODOSIO vitâ functo
Unus Orienti, alter Occidenti præfuit,
Diviſo primùm Imperio
Non per Fratrum diſcordiam, ſed ultimam Parentis voluntatem.
Geminos tum in mundo Soles radiare crederes,
Ita Conſtantinopoli ARCADIUS, Romæ effulſit HONORIUS;
Oſtenditque uterque non totum obijſſe Parentem,
Qui ſuperſtes eſſet in Filijs.
Rempublicam, quam ambo tranquillam accepêre,
Deprehenderunt mari eſſe ſimilem,
Cujus malacia ventorum flatu facilè diſſipatur.
Inflati nempè ambitione Proceres perturbârunt Imperium,
Ut faciliùs in turbido Cæſareum diadema piſcarentur.
Tutores juniorum Cæſarum à THEODOSIO conſtituti,
Ruffinus ARCADII, Stilico HONORII,
Oppugnare cœperunt, quos defendendos ſuſceperant,
Volentes ijs dominari, quibus parere debebant.
Vocato in auxilium Alarico Gothorum Rege,
Ad honorem, qui virtuti debetur, ſcelere graſſari volebant,

Igna-

Ignari, quòd violenta nemo Imperia continuit diu.
Quamvis nec eò pervenerint, quò tendebant.
Sanguineus ad dignitatem callis lubricus eſt:
Hunc tenuerunt, propterea ceciderunt,
Conſvetam ambitioſorum ludentes Tragœdiam,
Qui tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.
Ruffinus, qui ARCADII purpurâ libenter rubuiſſet,
Cæſus à militibus miſerè expalluit.
Stilico, qui Cæſare major eſſe voluerat,
Juſſu HONORII factus eſt capite minor.
Sic exſtinctis utrinque ſibi rebellibus,
Propriâ virtute, & Parentis optimi excitati exemplis,
Ad eos perdomandos convertêre animum,
Qui Deo erant perduelles.
Gentiles & hæreticos publicis edictis perſecuti ſunt;
Si hoc eſt perſequi,
Dæmonem velle eripere, ut Deum poſſint dare.
Fana idolorum diruerunt, ut ſummo Numini templa aſſurgerent;
Dejecerunt monumenta ſcelerum, ut virtutis trophæa ſtatuerentur;
Falſitatem depreſſerunt, ut veritas erigeretur.
O quàm proſperè
His Favonijs aſpirantibus, his ſideribus radiantibus,
Varias inter tempeſtates Petri navicula proceſſit!
His nixa fulcris, his ſuſtentata columnis,
Contra Paganorum inſultus, contra Donatiſtarum impetus
Quàm ſecura ſtetit Eccleſia!
Sed fortiſſima tandem fulcra ceciderunt,
Occubuerunt propitia ſidera,
Venti faventes ſpirare ceſsârunt,
Quando deſierunt vivere,
ARCADIUS anno ætatis XXXI. HONORIUS XL.
Ille citiùs, Hic diutiùs Imperator.
Verùm cur dixi exſpiraſſe, occubuiſſe, cecidiſſe?
Spiritus enim eorum remanſit in ſucceſſore Theodoſio II.
Virtus in perpetuas fulget æternitates;
Nominis gloria adhuc in Oriente & Occidente
Perennat.

ARCADIO ET HONORIO, FAVENTIBUS ECCLESIÆ CÆSARIBUS,

z.



Utile solicitæ sidus utrumque rati. Ovid:

Castor & Pollux propitia navigantibus sidera repræsentantur.

Navarchus. Castor & Pollux.

Navarch. EXpando vela; littore relicto, tremens
Periculosas æquoris tento vias.
Nunc semisomnis unda compositis quidem
Jacet procellis, murmur Aquilonum silet,
Etesiarum gratus aspirat favor,

Celer-

Celeríque noſtram promovet curſu ratem.
Sed quis perennem Nerei ſperet fidem?
Nil levius undâ, ſervat æternas vices,
Conſtánsque in inconſtantia pontus manet.
O quàm repentè turbo conglomerat truces
In axe nubes, ſolis exſtinguit jubar,
Diémque nautis eripit! ſequitur poli
Murmur tonantis; igneus ſubitis micat
Flammis Olympus; Jupiter telum jacit,
Et fulminante dexterâ mundum quatit.
Quàm ſæpè clauſas Æolus laxat fores,
Viámque ventis pandit? Hi toto ſtatim
Furore vaſti regna Neptuni petunt,
Et præliantûm more veſanos cient
Undique tumultus. Celſa jam tumidos levant
Ad aſtra fluctus, ima mox iterum nigri
Ad antra Ditis deprimunt. Mixtus Notis
Bacchatur Eurus, Aquilo cum Cauris furit,
Africus & Auſter ſtridet, ac totum ſua
De ſede pelagus turbine inſano movent.
Ambigua varijs interim nutat ratis
Jactata ventis, fluctuat dubijs maris
Territa procellis, jámque ſub ſtreperis timet
Undis ſepulchrum. Tanta ne noſtram premant
Pericla navem, ne tonet polus, fremat
Pontus, furátque ventus, ô Superi date
Nobis benigni! Precibus aſpiret polus!

Caſt.& Pol. Secura perge cymba; nil rabidos time
Ponti furores. Stella, quam rutilis vides
Utriuſque radijs ſplendidam, ſolis jubar
Tibi ſerenum faciet, & placidam maris
Dabit quietem; noſtra lux nautis favet.

Navarch. O fauſta nobis ſidera! ô ſtellæ bonæ!
Fulgete cœli lumina, & nautis dein
Semper faventes ſpargite è cœlo faces.

LEMMATA
ARCADII: SUMMA CADUNT SUBITO.
HONORII: MALE PARTUM MALE DISPERIT.

MAgna placent hominibus, diſplicent modica. Vileſcunt infima, ſumma æſtimantur. Deſpiciuntur valles, montes ſuſpiciuntur. Vix aliquis inter myricas locari ſuſtinet; quilibet inter cedros vel pinus vult eminere. Quàm pauci ſunt, quos, licèt ſint terræ filij, delectet ambulare in terra! Ad aſtra ſcandere, ſtellis propiores eſſe contendunt ferè univerſi more Gigantum. Sed neſcitis, quid petatis, quicunque ſublimia appetitis. Mons reliquam quidem terram celſo excedit faſtigio, ſed nunquid *feriunt celſos fulmina colles*? (a) Cedrus & pinus frondoſo vertice ſupra cæteram arborum turbam extolluntur; ſed nónne *ſæpiùs ventis agitatur ingens pinus*? (b) Amænâ lucis ſerenitate intuentium oculos aſtra ſcintillantia in ſe convertunt; ſed nónne ſæpè obducuntur caligine, & *nubibus atris condita nullum fundere poſſunt ſidera lumen*? (c) Sublimes honorum apices, ampliſſimaúmque culmina dignitatum communem mortalium conditionem longè ſuperant; ſed nunquid *plus habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris ſunt altiora*? (d) Inter Orientem honoris & Occidentem vix aliquando tantum intereſt temporis, quantum eſt inter ſolis ortum & occaſum. *Ima permutat brevis hora ſummis; quem dies vidit veniens ſuperbum, hunc dies vidit fugiens jacentem.* (e) Fortuna telis nemo magis expoſitus, quàm qui maximè ſublimis. Ut felicis & infelicis nomen unâ tantùm inter ſe ſyllabâ diſcrepant, ita ſors ſumma & infima quandoque uno ſolùm à ſe invicem paſſu diſtant. Quò aſcenſus eſt difficilior, eò deſcenſus eſt pronior. Facilè eſt in terram ruere, aſt iterum reſurgere hic labor, hoc opus eſt. *Ardua per præceps gloria vadit iter*, ùt Poëta canit; (f) unde facilè pes euntis fallitur, & ſpes in ima devolvitur. Dic, ubi conſtitit Phaëton, qui ſolis æmulus auream præſumpſit regere lucis quadrigam? *Patrijs excidit altus equis.* Ubi

 Icarus,

(a) *Sen. in Agam.* (b) *Horat.* (c) *Boët.* (d) *Lactant.* (e) *Sen. in Herc. Fur.* (f) *Ovid. 4. triſt.*

Icarus, qui novo pennatum artificio ad ſublimia evolavit? *Icarias nomine fecit aquas.* Sed quid Poëtarum ſcrutamur umbras, dum clariſſimum nobis hiſtoriæ lumen affulget? Plures ſummæ fortunæ in infimam mutatæ cataſtrophas ſingula dedêre ſæcula, quàm ut omnes recenſeri poſſint. Quis in aula Tiberij Sejano potentior? Et tamen, quo die à Senatu honorificè deductus fuit, eundem populus in fruſta crudeliter diviſit. Quis Beliſario poſt multas de hoſtibus reportatas victorias glorioſior? Et tamen omnem cum oculorum luce nominis ſplendorem amiſit, & factus *eſt Irus ſubitò, qui modò Crœſus erat.* (g) Quis Valeriano in Cæſarei honoris culmine conſtituto ſublimior? Et tamen eò depreſſus eſt, ut Regi Perſarum equum conſcenſuro collum & humeros ſubmiſerit. Veriſſimum nempe eſt, quod Poëta Tragicus aſſeruit. *Sidunt ipſo pondere magna, ceditque oneri fortuna ſuo.* (h) Quòd ſi ſcelere tibi peperiſti honores, plus habes, quod metuas; quia malè parta malè dilabuntur. Si per aliorum ruinas ad dignitatis faſtigium evaſiſti, cave, ne ruas in foveam, quam alteri feciſti; ſemper enim tragica eſt improborum felicitas. Si injuſto ferro auream tibi comparaſti fortunam, fide, ſi vis, ſed cui, vide. Iniquitas mole ſuâ gravis eſt; Fortunam per ſe leviter ſtantem faciliùs in caſum impellet, ut te cadendo opprimat. Ab honeſto (ſi neſcis) dictus eſt honor; crimina averſatur: bonos ſponte, malos ſequitur invitè. Diu ſtare non poteſt, quæ aquiritur ſine æquitate felicitas, quia caret fundamento. Si non eſt alia gloriæ aurora, quàm culpa, occaſum ab ortu, noctem à die non multùm abeſſe deprehendes. Si Virtus ipſa ad firmandam ſortis inconſtantiam non ſemper ſufficit, quid ſcelera facient? Nemo profectò ſapientior illo, qui non ambit gloriam, ſed virtutem. Juxta Tacitum enim *gloria virtutis pediſſequa eſt*; & ex Plutarchi ſententia, *eximiam virtutem ſponte ſequitur ſuum decus.* Romani templum honoris junctum voluêre templo virtutis, ut nemo poſſet illud intrare, niſi priùs hoc ſubijſſet. Nempe bene ad ſummos ſic itur honores; ſecuriori tramite eò non pervenitur. Quiſquis ergo ſis, eſto optimus, ut poſſis eſſe maximus. Imò major es, ſi honorem mereris, quàm ſi non meritus honoraris. Qui jacet, apprehendat virtutem, ut erigatur. Qui ſtat, videat, ne cadat.

LU-

(g) *Ovid. 3. triſt.* (h) *Sen. in Agam.*

LUDOVICUS A DEO DATUS, EX CAROLO MAGNO CÆSARE ET HILDEGARDE NATUS,

AD omne bonum à teneris educatus,
Suâ virtute Pij cognomen,
Parentis juſſu Cæſaris nomen accepit,
Anno ſalutis humanæ per CHRISTUM reparatæ DCCCXIII.
Imperij Occidentalis per Carolum reſtaurati XIV.
Aquiſgrani inſignitus Auguſto diademate reliquit dubium,
An dignitate, vel pietate eſſet inſignior.
Ut firmius ſuum redderet Imperium,
Illud in Petra Romana voluit ſtabilire.
Ne ipſo imperante langueret membris Eccleſia,
Ejuſdem caput ſervavit incolume.
Parenti Fidelium Pius Filius,
Leoni III. ſuccurrit LUDOVICUS I. eventu ſecundo;
Quia Pontifici ſecuritatem, Romæ pacem, Eccleſiæ tranquillitatem
Pietate ſuâ reſtituit, quam aliorum impietas ſuſtulerat.
Quietem nempe ademit ſibi, ut daret alijs;
Laboravit in terris, ſed pro cœlo;
Summam adhibuit potentiam, ſed pro omnipotentis gloria;
Politicam geſſit majeſtatem, ſed ad rerum ſacrarum authoritatem.
Sub Cæſaris purpura religioſum occultans animum,
Oſtendit, curam DEI & populi,
Regni & Fidei, Aulæ & Eccleſiæ
Bene convenire in Principe, unáque in ſede morari.
Cùm ipſi Eccleſias non liceret regere,
Curavit, ut ab alijs ſedulâ curâ regerentur.
Idcircò plura Antiſtitum procuravit concilia,
In quibus infirmis membris adhiberetur medicina,
Putrida gladio ſpiritûs reſecarentur,
Et ſerpens tacitè peſtis opprimeretur citiùs,
Quàm latiùs graſſaretur.
In mundo nil niſi cœleſte ſapiens,
In Aula nil niſi ſanctum cogitans,
Terram cœlo parere, cœlum terris invehere ſatagebat.
Hinc varias in urbes diſperſit Divorum reliquias, Ut

Ut ijs venerationem colligeret,
Perversósque mutaret hominum animos,
Quibus tam sancta corpora donârat;
Homo omninò dignus adscribi Cælitibus,
Qui Cælites hominibus immiscebat.
Nondum tamen hìc substitit Pietas LUDOVICI;
Plus ultra progressa est,
Et facta pretiosior, quando auro comitante processit,
Exhausit enim arcas, ut aras locupletaret;
Minuit ærarium, ut augeret sanctuarium;
Aulæ nitori detraxit, ut posset addere templorum splendori,
Usque ad naturæ negligentiam, & suæ oblivionem fortunæ,
Divinæ memor magnificentiæ.
Nil tamen inde jacturæ passus est,
Quia quæstuosa est pia in cœlum liberalitas,
Et quæ Deo dantur, servantur opes.
O quantæ tunc in orbe Cæsarum Antitheses!
In Oriente regnabat Leo natus in Armenia,
In Occidente imperabat Agnus oriundus è Francia;
Ille sacrarum imaginum hostis, iste defensor;
Ille Ecclesiarum direptor, iste instaurator;
Ille exturbator Sacerdotum, iste propugnator;
Ille belluæ non absimilis, iste similior Angelo;
Ille difficilis ad veniam, iste non facilis ad iram.
Nam filios Absoloni rebellanti pares expertus,
Davidis mansvetudinem est æmulatus,
Nullius rei magis, quàm iræ suæ Dominus,
Sempérque ad veniam promptior, quàm ad pœnam.
Sed quò mitior in alios LUDOVICUS,
Tantò in eum Fortuna fuit acerbior;
Fortassis, ut velut aurum igne, sic virtus adversis probaretur.
Denique nec Mors clementi, Pióque Cæsari pepercit.
Lætissimo tempore maximum Germaniæ luctum attulit,
Quando in Majo rapuit LUDOVICUM.
Verùm quid plangis Germania?
Humana erga te, non inurbana Mors fuit.
Florem tuum decerpsit, ut transferret in cœlum;
Quia in terris cœlestem spiravit odorem.

LU-

LUDOVICO PIO
SUMMI PONTIFICIS DEFENSORI,



Hic pietatis honos: sic nos in sceptra reponis. Virg:

Apollo Jovi à Gigantibus oppugnato ſuccurrens proponitur.


Gigantes. Jupiter. Apollo.

Enceladus. ERgóne ſemper deſides, Superûm gravem
Feremus iram? murmure inſano fremens
In nos tonabit Jupiter, ſparget faces,
Et fulminante dexterâ noſtram petet
Cervicem inultus? Ille dominanti manu
Semper ſerenas ſiderum domos reget,

Dum

Dum nos tenemus infimas terræ caſas?
Ad bella ſocij! tecta ſtellantis poli
Pulſemus armis; prælia inimico Jovi
Moveamus omnes. *Briareus.* Igneâ Aſtrorum procul
Recedat aulâ, ſceptra, quæ manu rotat,
Multo coruſca lumine, & nitidis thronum
Stellis ſerenum, quóque mortales premit,
Nomen Tonantis perdat; inviſus dein
Toto vagetur orbe, & optatos diu
Nobis relinquat Jupiter cœli lares.
Mimas. Ergo audeamus aliquid. Audaces juvat
Fortuna, timidos deſerit. *Typhæus.* cælum novâ
Scandamus arte. Montium ſummos loco
Moveamus, Oſſæ Pelion, Olympi jugis
Rupem aggeramus Caucaſi, ut celſas poli
Tangamus arces. *Jup.* Quantus in terra fragor
Auditur! alti concidunt ſcopuli, ruunt
Ubique ſaxa, montium creſcunt juga
Aduſque cœli Regiam. Inſanus furor
Hic eſt Gigantum, qui mihi bellum movent.
Cedite ſuperbi; vel meâ veſtrum ſcelus
Mox vindicabo dexterâ. Faſtu nihil
Magis Tonanti diſplicet. *Encel.* Magis Jove
Nihil Tonante diſplicet. Trifidas manu
Nos fortiore facilè rapiemus faces.
Apollo. Sacrilega turba! Maximum ſic tu colis
Superûm Monarcham? ſiccine ultrices Dei
Contemnis iras? Stet ſuum Jovi decus,
Et pereat orbis. Cadite ſcelerati meis
Icti Sagittis. *Jup.* Cadite fulmineâ Jovis
Flammâ peruſti. *Encel.* Vindicem ſummi manum
Sentio Tonantis. *Typh.* Me potens Phœbi premit
Jaculantis arcus. *Apol.* Deprimi ad Avernum decet,
Quos uſque ad aſtra contumax faſtus levat.
Jup. Impunè Superis prælium nemo movet.

LU-



LUDOVICI PII INSCRIPTIO:
OMNIUM RERUM VICISSITUDO.

QUàm bene universa rerum creatarum machina orbis appellatur! Rotunda est, rotæque similis, continuò volvitur. Terra quidem firma stat; quæ tamen super terram sunt, rotantur omnia, *& rebus cunctis* (ùt verbo Tacitus, re docet experientia) *quidam velut orbis inest.* Lux & tenebræ, dies & nox, ver & hyems, calor & frigus, tempestas & serenitas mutuâ sibi invicem alternatione succedunt. Nec minor est mutatio in fortuna, quàm sit in natura, hoc tamen discrimine, quòd natura certâ lege, fortuna nullo ordine varietur. *Fortuna nunquam sistit in eodem statu; semper movetur, variat & mûtat vices, & summa in imum vertit, ac versa erigit.* (a) Continuus hic in mundo cursus est, ut *succedant tristia lætis*, amara dulcibus, adversa prosperis, infima summis. Honores facilè deprimuntur ad ignominiam, divitiæ exhauriuntur ad inopiam, voluptates desinunt in tristitiam, magni nominis fama minuitur per contemptum, vita ipsa cum rerum omnium cumulo facillimè in tumulum collabascit. Ita *nihil est ab omni parte beatum.* (b) Pacis tranquillitatem turbant bellorum tumultus, florentem urbium, regnorúmque felicitatem pessundat Martis ferocia, ut, ubi steterunt Pergama, nunc fluctuent aristæ. Hìc vetusta regna concidunt, ibi nova surgunt imperia. Illic priscæ obliterantur Majorum imagines, alibi recentes nobilitatis ceræ efformantur. Qui non unam de hoste prostrato tulêre victoriam, mutatâ repentè belli aleâ victi ducuntur in triumphum. Nonnunquam dum una ex parte Abdolonimus ex horto ad Regnum, Tullus Hostilius à caula ad aulam, Bamba ab aratro ad sceptrum evocantur, parte alterâ vel Dionysius Syracusanus à regendis populis ad castigandos in trivio pueros ablegatur, vel Ruffinus & Stilico efficiuntur omnium minimi, qui erant maximi, & uno tantùm Cæsare minores. Ita *sors omnia versat.* (c) Neque bona ulla sunt, quæ malorum confinio non lædantur; quidquid de Polycrate Samiorum Tyranno in contrarium admirabunda declamet Antiquitas. Tantâ hunc usum dicunt felicitate, ut

nullum

(a) *Auson. in Epigram.* (b) *Horat.* (c) *Virgil.*

nullum infelicitatis argumentum in tota potuerit vita reperire. Credat hoc, quisquis volet. Qui miserâ, in trabe suspensus, morte perijt, eum semper fortunatum vixisse nego. Dissimulare potuit infelicitatem, à se removere non potuit. Eadem olim fuit, quæ nunc est, ac *passibus ambiguis Fortuna volubilis errat, & manet in nullo certa tenáxque loco: sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos, & tantùm constans in levitate sua est.* (d) Fortuna nempè est veluti luna: crescit & decrescit. Est flori similis: vernat & marcescit. Est instar fulguris: lucet & evanescit. Mel propinat, sed felle mixtum. Aurea porrigit munera, sed quæ ferrea non rarò invehunt funera. Blanditur amore, sed mox sævit furore. Dulci cum Sirenibus cantu, & amœnis jocatur oculis, sed miseros dein in planctu, & adversitatum destituit scopulis. Tot tamen inter rerum vicissitudines, variásque felicium & infelicium casuum alternationes in animum nihil potest Fortuna. Nisi tu velis, illum non mutabit, licèt mutet omnia. Bona reliqua invito potest rapere; quæ in animo sunt, eripere non potest, nisi volenti. Illa sponte non dimitte, sic nunquam succumbes fortunæ. Sagittæ, quas illa jacit, vel divitias, vel nomen, vel corpus attingunt, animum non penetrant, nisi tu ipse viam pandas. Insuperabili is loco stat, arce suâ se continet, infra illum omne telum cadit, modò tu non cadas animo. Fac ergo, animo forti, magnóque sis, seu sole sereno fulgeat, seu fulmina cœlum mittat. Sic Fortuna serviet, tu imperabis, variatâ non mutaberis, cadente stabis. Faventi ne fide, furenti ne cede; bonam rege, malam vince. Non extollaris in prosperis, nec deprimaris in adversis. Si lenes aspirent Favonij, noli nimiùm vela laxare; si rigidi fremant Aquilones & Africi, noli de portu desperare. In rebus secundis adsit moderatio Vespasiani Cæsaris, in sinistris fortitudo Zenonis Philosophi. *In illo, licèt communi omnium consensu diceretur Imperator,* (teste Tacito) *nihil tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit.* (e) *Iste* (authore Seneca) *nunciato naufragio, cùm omnia sua audiret submersa, nihil commotus, jubet, inquit, me fortuna expeditiùs philosophari.* (f) Ad Principes nempè & sapientes maximè pertinet, non regi fortunâ, sed illam regere; & qualiscunque ea demùm sit, semper aliquid memorabile, magnóque dignum animo efficere. *Magni viri nesciunt succumbere fortunæ.* (g)

OTHO

(d) *Ovid. 5. trist.* (e) *Lib. 2. Hist.* (f) *L. 1. de tranq.* (g) *Sen. l. 4. declam.*

OTHO
OTHONIS MAGNI CÆSARIS FILIUS,

INdole major quàm ætate,
Animo maturior quàm annis,
Pectoris magnanimitate validior, quàm robore corporis,
Jam tum in summo honoris culmine constitit,
Quando alij vix scandere incipiunt.
Ne scilicet fatigato jam laboribus Atlante Magno Cæsare
Romanum nutaret Imperium,
Novus ferendo oneri suffectus est Hercules.
Ne inter tumultuantes tum Europæ procellas
Funesto Germania involveretur naufragio,
Si Palinurum repentinus mortis somnus opprimeret,
Alius, qui clavum moderaretur, constitutus est navarchus.
OTHO parens enim OTHONEM Filium Cæsarem esse voluit,
Anno Imperij sui XXXI. nati Salvatoris DCCCCLXVII.
Ne, si ipsi mors vitam raperet, simul Imperio felicitatem eriperet,
Et membra sine Capite inter se dividerentur.
OTHO ergo à Parente nominatur,
A Joanne XIII. Romæ coronatur Imperator,
Et quidem in Natali Domini,
Ut inde dignitatis Cæsareæ exordium duceret,
Unde orbis universus salutis sumpsit principium;
Meminissétque
Et nato Salvatori, & facto Imperatori hoc esse commune,
Ut uterque gloriam Deo, pacem procuret hominibus.
Geminum hoc munus implere conatus est,
Ne nomen, quod in Parente erat magnum, minueret;
Ne dignitatem, quam nascente justitiæ sole acceperat, obscuraret.
Quia tamen pacem obtinere non potuit, nisi ferro,
Ferream agere ætatem coactus est, qui auream maluisset,
Non heroicæ defectu virtutis, sed publicæ affectu tranquillitatis.
Sciens ijs tantùm pacem deberi, qui bonæ essent voluntatis,

Illis arma intulit, qui mala volebant,
Generoſa malens pericula, quàm periculoſam ſecuritatem.
Sensêre hoc Galli,
Qui è nido ſuo Aquiſgranum uſque provolantes
Leones Alemannicos nequicquam terruerunt;
Imò pennas amiſerunt in Germania,
Ut pœnas darent inconſultæ temeritatis.
Vices nempè Lothario Regi repoſuit OTHO Imperator,
Illatam Germanis injuriam Gallico cruore expians,
Et Francicis incendijs Teutonicum nomen illuſtrans.
Pariſios uſque, unde egreſſa Lotharij audacia,
Progreſſa eſt OTHONIS Victoria,
Docuítque, nunquam Aquilas à Gallis impunè irritari.
Pace domi reſtitutâ extra patriam proceſſit,
Non ut bella moveret, ſed mota componeret,
Et defenderet Latinam fidelitatem contra Græcam perfidiam.
Cum Sarracenis Calabriam, Apuliámque vaſtantibus
Primùm felici, dein adeò infauſtâ luſit belli aleâ,
Ut cum milite victoriam, & demum libertatem amiſerit
Vinctus à nautis, qui victus erat ab hoſtibus.
Animum tamen inter hæc non perdidit Cæſare dignum;
Hinc reliqua facilè recuperavit,
Auro libertatem, ſtipendijs militem, fortitudine victoriam.
Iterum progreſſus in Sarracenos
Sudore Martio fugæ labem eluit,
Et nuper attritam hoſtili ſanguine purpuram decoloravit,
Victor inde glorioſior, quod vincentes vicerit,
Eóſque penitùs deleverit, à quibus totus ſuperari non potuit.
Victoria hæc novum illi nomen peperit,
Ut diceretur PALLIDA MORS SARRACENORUM;
Digniſſimus, ut diu viveret, poſtquam hoſtes ita mori coëgiſſet.
Sed, quam immiſit in alios, in ſe quoque mortem concitavit,
Multo ſanguine jam ita efferatam, ut nec Victori parceret.
Morti ergo, non hoſtili Marti ſuccubuit,
Anno poſt Parentis obitum undecimo,
OTHONE Magno minor non futurus,
Si longior ſuperfuiſſet vita, & melior fortuna faviſſet.

OTHO-

OTHONI JUNIORI
SARRACENORUM DOMITORI,



Virtutis est domare, quæ cuncti pavent. Sen:

Perſeus de Meduſa triumphans in Scenam datur.

Perſeus. Agonotheta. Meduſa.

Perſ. JAm Martialis bullit in venis cruor,
Totúmque pectus igne generoſo calet.
In bella fervet animus. Egregiam lubet
Pugnando laurum quærere, & pulchrum mihi
Parare nomen inter illuſtres viros.
Meduſa, Phorci genere truculento ſata,

Immane monſtrum, peſtilens mundi lues,
Odium Minervæ, capite quæ Stygios gerit
Crinita colubros, atque Avernales manu
Furente tædas concutit, titulus mei
Erit triumphi. Victa victoris mihi
Nomen relinquet. *Agon.* Ergo Gorgoneæ nihil
Caput Meduſæ viperis cinctum times?
Impunè nullus hactenus Furiæ trucis
Fodicavit iras. Fœmina hæc vicit viros.

Perſ. Quid inde? forti ex hoſte laus major venit.
Virile robur ſæpè fœmineus furor
Dolúſve vicit: noſter aſt animus gravi
Eſt major irâ, major occulto vafræ
Mulieris aſtu! Marte de me non feret,
Nec arte palmam. *Agon.* Certat aſpectu; time;
Videre vinci eſt. *Perſ.* Certet aſpectu; manu
Ego dimicabo; fortè nec viſum caput
Collo revellam. *Agon.* Cœlites faveant boni,
Et placida dexteram Aſtra ferientem regant.

Perſ. En ipſa prodit Gorgonum Princeps, probrum
Infame mundi! lumina avertam, manum
Armabo, tacito terga præeuntis pede
Inſequar, & enſe demetam anguicomum caput.
Ictum ſecundent Numina, ut monſtrum cadat,
Noſtráſque tandem liberet terras metu.

Med. Quis eſt Medusâ fortior? quis me magis
Illuſtris Heros? Dexterâ haud opus eſt mihi
Rotante ferrum; frontis aſpectu truci
Victrix triumpho; vultus exarmat viros;
Vidiſſe me eſt perijſſe. *Perſ.* Truculenta, impia,
Atrox, cruenta! ſcelera ſic jactas tua?
Peri execranda; regna Plutonis pete,
Ibique triſti jungere Eumenidum choro.
Bene eſt! reciſo vertice examinis jacet
Meduſa. Tantum Perſei virtus poteſt.

Agon. Jo triumphe! poſſe truculenta omnia
Virtute vinci Perſeus victor docet.

OTHO:



OTHONIS JUNIORIS EPIGRAPHE:

PACEM CUM HOMINIBUS, CUM VITIIS BELLUM.

QUantæ (Deus immortalis!) ſingulis ferè ſæculis bellorum tempeſtates in mundo deſæviêre! Quàm vehemens Martij furoris turbo urbes & oppida commovit! Quanta militum armatorum nubes regiones obtexit & provincias! Quàm denſi telorum imbres campos opplevêre! Quàm crebra enſium ſtrictorum fulgura coruſcârunt! Quàm tremenda in gentes & populos mortis cruentæ fulmina ſummi Regnorum Joves detorſerunt! Et quorſum hæc omnia? Nimirum ut ſuæ timorem incuterent potentiæ magni Principes, ſubditíſque æquè ac hoſtibus nomen Regium fieret tremendum, & veluti Jovem fulminantem, ſic Regem ferro graſſantem paverent univerſi. Quantæ (Superi boni!) omnibus propè mundi ætatibus conſcriptæ legiones, diſpoſitæ phalanges, exercitus collecti! Seſoſtris Ægyptius ſexcenta peditum millia, equitum vingiti quatuor, curruum ad bella paratorum octo & viginti millia numeravit. Xerxes Perſarum Rex ad prælium navale plures nongentis millibus bellatores, ad pugnam terreſtrem centum & ſeptuaginta octo præliantium myriades eduxit. Ninus Aſſyrius in Bactrianos pugnaturus decies ſepties centenorum millium in turmis pedeſtribus, equeſtribus in copijs ducentorum millium numerum adæquavit. Et quorſum tam numeroſæ acies, tam copioſa militum agmina? nimirum ut homo homini lupus fieret, unúſque alterum inſequeretur, vulneraret, trucidaret. Itane in mutuam ardetis perniciem mortales? Siccine, qui humanitatem geritis in nomine, opere plus quàm ferinam immanitatem exhibetis? Ad interrogationem Horatij reſpondete. *Quò, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris aptantur enſes conditi. Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus unquam, niſi in diſpar, feris.* (a) Quòd ſi tamen innatus vos urget certandi ardor, oſtendam, cum quibus pugnare fortiter, quos feliciter debellare poſſitis. Non in homines, ſed in vitia inſurgite; Illi amo-

(a) *Lib. Epod.*

li amorem, ista odium promerentur. Cum illis sancite pacis fœdera, cum istis æterna gerite armorum & animorum dissidia. Utì juxta Martialem *licuit sempérque licebit parcere personis, dicere de vitijs*; Sic licuit, sempérque licebit personas diligere, earundem vitia insectari. Imò, ut pacem suis in regnis procurent Principes, cum vitijs semper bella gerant, est necesse. Crudelis est clementia, quæ mavult palpare vulnera, quàm curare. *Maxima enim illecebra peccandi est spes impunitatis.* (b) Idem vitibus ingenium & vitijs; exuberant, ni falcem sentiant. Nocet innoxijs, qui nimiùm parcit nocentibus; quia *facilè serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* (c) Fortunata illa Respublica, in qua nulli vitio licet impunè grassari; infelicissima, quæ peccatorum pondere premitur, quia tandem ad ima deprimetur. Tragœdi effatum est: *Ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.* (d) Quòd si quis clementis nomen ambiat, nil timeat, quia hoc puniendo non amittet. Potest enim iratus esse sceleribus, sceleratis placatus, & odio habere peccata, non homines. Imò clementiæ species est sævire in malos; & beneficium præstatur impijs, quando pœna irrogatur. *Feliciores enim*, teste Boëtio, *sunt improbi supplicia luentes, quàm si eos nulla justitia pœna coërceat.* (e) Ferrum ergo, ubi opus est, Princeps stringat, non tam ut perimat homines, quàm ut scelera pereant. Quod ut eveniat feliciter, unum adhuc necesse est; nimirum, ut sua priùs expugnet vitia, qui aliena vult oppugnare scelera. Alium vix talem facies, qualem esse vis, si tu ipse tatis non sis, qualis esse debes. Scelera in purpura rarò displicent; laudatores facilè inveniunt & imitatores. Frustrà interdices cæteris, quæ ipse amplecteris. Incassum argues supplicio, quæ tuo commendas exemplo. *Languere membra capite vitiato solent.* (f) Seu (ut clariùs Romanæ Princeps eloquentiæ) *vitiosi Principes non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, plúsque exemplo, quàm peccato nocent.* (g) A te ergo bellum incipe, quicunque summâ cum potestate populos gubernas. Rege teipsum, ut possis regere subditos. Teipsum vince, ut de alijs victorias possis reportare. *Nulla est major victoria*, inquit Seneca, *quàm vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuêre in potestate; paucissimi, qui se.* (h) Cura, ut sis è numero peccatorum.

ALBER-

(b) *Cic. pro Mil.* (c) *Sen. de Tranq. c.7.* (d) *Sen. in Herc. Fur.* (e) *De cons. phil. pros.* 4. (f) *Sim. Ang. in Zen.* (g) *Cic. de leg.* (h) *Lib.3. nat. quæst.*

ARBERTUS
RUDOLPHI MAGNI CÆSARIS FILIUS

CAndidum quamvis nomen præferat;
Atram tamen effugere non potuit fortunam,
Quæ tamen iterum frontem mutavit, (pillo.
Illíque album dedit calculum, qui nigro nunquam erat ſignandus la-
Filium Auſtriaci titulo Archiducis ornatum,
Romani quoque Cæſaris honore augeri voluit Genitor Auguſtus,
Non tam, quia ejuſdem ſanguinis, quàm quia paris erat virtutis.
Nec deerat plurium Electorum conſenſus,
Qui quidem vivo Parenti recusârunt ſocium adjungere Imperij,
Defuncto tamen ſuccedere voluêre Filium,
Ut translato in ALBERTUM diademate
Merita RUDOLPHI MAGNI poſt mortem coronarent,
Et ſuperſtes in Filio Parens poſt fata imperaret.
Sed unus maximè obſtitit Moguntinus Antiſtes,
Qui cognati ſanguinis, quàm alienæ virtutis amantior,
Emendicavit Procerum ſuffragia pro Adolpho Naſſovio,
Quæ debebantur ALBERTO AUSTRIACO;
Eúmque evexit ad Imperium, qui manſiſſet melior, ſi non imperâſſet.
Honores enim Cæſarei mutârunt mores Adolphi,
Ut jam eò minor eſſet virtute, quò major erat dignitate.
Indignum propterea rati Principes
Eum dominari populis, qui ſerviebat vitijs;
Germanæ gentis eſſe Imperatorem, qui cupiditatum erat mancipium;
Scelus dejecerunt è ſolio, ut exaltarent virtutem;
Naſſovium exuerunt purpurâ, ut induerent Auſtriacum.
Sed vi extorquendum fuit ab Adolpho, quod ſponte cedere debuiſſet.
In patulo Spiram inter & Wormatiam campo
Congreſſus cum corrivali ALBERTUS, haſtâ per oculum adactâ
Lucem ſimul & vitam illi ademit,
Qui jam priùs ſplendorem Majeſtatis Cæſareæ tenebris involverat.
Ita ruente Naſſovio ad Imperium ſurrexit Auſtriacus,
Et poſt ferream tempeſtatem aurea Germaniæ ſerenitas illuxit.
Quæ tamen non diu tenuit,
Cùm, veluti ſolis calor terræ vapores,

Sic celſus honor trahat æmulorum livores.
Parere noluerunt Proceres Cæſari,
Quo nemo melior tum poterat imperare;
Membra ſuum in caput ſeditionem moverunt,
Quo tamen aptius vix erat aliud,
Cùm hoc fuerit Auſtriacum, id eſt, Imperijs natum & factum.
At timete rebelles!
Fictam Gigantum Tragœdiam veram mutabitis in hiſtoriam.
Qui ſubijci non vultis Jovi pacificè regnanti,
Subeſſe debebitis ſeverè fulminanti.
Ita eſt. Jam fulgurat, atque tonat;
Devincit fortitudine, quos erexit audacia,
Non tantùm Cæſar Auſtriacus, ſed & Victor Germanicus.
Cæteros, eóſque majores ALBERTI triumphos
Quis tenui calamo perſtringet?
Dixiſſe ſatis eſt: Idem illi erat vivere, quod vincere.
Felicibus prælijs labores Herculis, & ſigna Zodiaci adæquavit,
Digniſſimus, cujus fama perennet in terris,
Et gloria in cœlis reſplendeat.
TRIUMPHATOR appellari meruit, (ſet.
Non tantùm, quòd de hoſtibus, ſed etiam, quòd de ſeipſo triumphâſ-
Adhibuit terrorem potentiæ, ſed non amiſit ſvavitatem clementiæ,
Non minoris in parcendo facilitatis,
Quàm in vincendo felicitatis.
Unde tantò plus ſibi comparavit gloriæ.
Quantò difficilius eſt genus victoriæ
Poſt ſuperatos hoſtes ſeipſo fieri fortiorem,
Et domitâ gente rebelli iracundam mentem ſubjugare.
VICTORIOSO nempe PATRI TRIUMPHATOR FILIUS
Similis erat in omnibus,
Indole, fortitudine, clementiâ, dignitate, numero triumphorum;
Uno tantùm diſſimilis vitæ exitu,
Quia maturè obijt, & infeliciter,
Anno nimirum Imperij nono à fratris filio trucidatus.
Si tamen præmaturè mortuus dici poteſt,
Qui jam tum victoriarum curſum abſolvit;
Aut infelix appellari,
Cujus Poſteritati Divina Providentia nec metas rerum,
Nec tempora ponit. AL-

ALBERTO PRIMO
CÆSO HOSTE CORRIVALI, DEBITUM SIBI IMPERIUM OCCUPANTI,

5.


Et hoc decebat roboris tanti virum. Sen:

Hercules devicto Dracone aurea carpens poma Hesperidum scenicè effingitur.

Hercules solus cum Dracone pugnans.

AUrata tandem carpere Hesperijs libet
Poma in viretis. Talia Alciden decent
Præmia. Triumphos inclytâ partos manu
Aurum coronet. Lubricum sed quis gradum
Movet, trisulcæ spiculo linguæ minax,
Tumens veneno, stirpe Gorgoneâ satus
Truculentus anguis? Ergo virtuti meæ
Iterum palæstra instruitur? Herculeo novum

Rursùs

Rursùs domandum robori monſtrum datur :
Armabo dextram ; victus addetur meis
Draco triumphis. Hercules vinci haud poteſt,
Sed cuncta vincere Herculis virtus poteſt.
Vix natus orbi, duplicem tenerâ manu
Potui Chelydrum frangere, & facere irritam
Junonis iram. Capite ſepteno tumens
Deinde ſerpens ſenſit inflictum meâ
Ictum ſupremum dexterâ. Cecidit Fera,
Quam nutriêre Mænali celſis jugis
Fauni bicornes. Quíque Nemeæis fuit
Lactatus antris, corpore immani leo,
Apérque terror Arcadum, noſtris jacent
Armis ſubacti. Nec meam præſens Draco
Effugiet iram. Gloriam Alcidæ ſuâ
Illuſtriorem faciet examinis nece.
Quodcunque cupio vincere, hoc dextrâ ſtatim
Victrice ſterno. Flammeis fruſtrà minas
Intentat oculis; ſquameum fruſtrà rotat
Syrma, & recluſis faucibus vanos parat
In me furores coluber inſanus. Cadet
Ferale monſtrum. Victor Alcides erit.
O clava! felix clava! monſtrorum rubens
Cruore fuſo, robore egregio potens,
Ferax triumphi! rursùs Herculeâ manu
Librata ſævi; belluam immanem feri,
Opprime, trucida. Proſperè, ex animo datus
Succeſſit ictus. Hercules iterum ſuâ
Clavâ triumphum meruit, & palmam tulit.
Jam poma tutus carpo, & eximium mei
Tandem laboris præmium victor fero.
Jam vivo, jam triumpho, & optatos diu,
Nil jam timente dexterâ, fructus lego.
Sum dives auro, ditior propriâ tamen
Virtute, tantas quæ mihi confert opes.

ALBER-

ALBERTI PRIMI EFFATUM:
QUOD OPTIMUM, IDEM JUCUNDISSIMUM.

ITa comparatum eſt genus humanum, ut triſtitiam horreat, amet lætitiam; fugiat melancholiam, Eutrapeliam ampleƈtatur. Jucundæ illi Poëtæ aliàs Tragici admonitioni promptiſſimè obtemperant univerſi: *Vivite læti; properat curſu vita citato, volucríque die rota præcipitis vertitur anni.* (a) Quod quidem ego improbare non auſim, cùm idipſum Regum ſapientiſſimus hortetur: *Triſtitiam longè repelle à te; multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* (b) Optimè ergo ſibi conſulit, quiſquis gaudium quærit, ſi tamen quærat ibi, ubi inveniri poteſt. Multa ſunt; quæ nomen quidem habent lætitiæ, rem tamen non habent; videntur jucunda, non ſunt; foris gratioſum exhibent nitorem, intus acerbum tegunt dolorem. Quid agis? (ſi tuas tamen curas interpellare licet) avare Euclio, auri, argentíque helluo, ſolicite Mammonæ miniſter? Gaudium, inquis, quæro. Ubi? In divitijs. Quod quæris, non invenies. Nam *divitiarum amor inſatiabilis longè ampliùs deſiderio torquet, quàm uſu ſuo hominem refrigeret, utpote quarum aquiſitio laboris, poſſeſſio timoris, amiſſio doloris plena invenitur.* (c) Divitiæ ſpinæ ſunt; pungunt, non ungunt; animum ſauciant, non ſanant. Et tu glorioſa Thraſonum de ſtirpe oriunde, qui in magnis & mirabilibus ſupra te ambulas, quid moliris, quid cogitas? Gaudium quæro, ais. Sed ubi? In honore & gloriâ. Nec tu, quod quæris, invenies. Quia *Fortuna magna non caret formidine, nec ſplendor eminens vacat periculo.* (d) Gloria eſt veluti aura; inflat, non explet. Affinia ſunt honos & onus; quò ille altior, tantò gravior. Tu quoque Sybaritarum moribus, aut Epicuri legibus imbute Troſſule, quid mente volvis? Gaudium quæro, reſpondes. Ubi? In voluptatibus. Minimè omnium, quod quæris, invenies. Quia *habet omnis hoc voluptas; ſtimulis agit fruentes, apiúmque par volantûm, ubi grata mella fudit, fugit, & nimi tenaci ferit icta corda morſu.* (e) Fallax illa eſt; dum ludit amore, illudit dolore; plus aloës, quàm mellis habet. Si ergo nec ſplendet in auro, nec

(a) *Sen. in Herc. Fur.* (b) *Eccli.* 30 (c) *S. Bern.* (d) *Apollod.* (e) *Boët. l.* 3. *met.* 7.

nec fulget in honore, nec in amore blanditur vera jucunditas, ubi invenietur, quæ tam ſolicitè ab omnibus inveſtigatur? Paucis dicam. Quære, quod eſt optimum, & invenies jucundiſſimum. Intra te habere potes, quod deſideras. Non opus eſt, ut alienos emendices favores, ut aurum largiendo profundas, ut potentiorum implores ſubſidium. A tua, non aliena poteſtate vera pendet lætitia. Gaudium tu ipſe tibi dare potes, quod nemo poteſt eripere. Vis clariùs hoc intelligere? Audi Senecam? *Gaudium non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere, niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans.* (f) Romano Philoſopho Romanus conſentit Orator: *Conſcientia bene actæ vitæ, multorúmque benefactorum recordatio jucundiſſima eſt.* (g) Si forma corporis vi ſuâ ita rapit oculos & animos, ut ſecundùm Ariſtotelem cæcorum ſit percunctatio, cur fiat, ut libentiùs cum formoſis, quàm deformibus converſemur; quid non poterit forma animi? Quod pulchrum, hoc charum. *Nihil autem virtute eſt præſtantius, nihil pulchrius; & bonum eſt, & optabile, quidquid ex hujus geritur imperio.* (h) Corporis *forma bonum fragile eſt, quantúmque accedit ad annos, fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.* (i) Sed *Virtus repulſæ neſcia ſordidæ intaminatis fulget honoribus.* (k) Huic igitur ante omnia amor & labor impendendus. Plus animi cultui, quàm formoſo vultui tribuendum. Neque ulla fides habenda colori, niſi qui à virtute promanat. Sed nolim, ut tua tantùm te virtus oblectet; aliena etiam tibi placeat, velim. Si magni & ſinceri es animi, in alijs æſtimare aut amare nihil debes, niſi quod bonum eſt. Quòd ſi ſummâ etiam in alios poteſtate dominaris, cave, ne claros reddas, niſi quos virtus illuſtrat. Sceleſti miniſtri etiam pium Principem de improbitate faciunt ſuſpectum; & quidquid ferè à Palatinis geritur, id Principi vel jubenti, vel conniventi tribuitur. Unde rectè Iſocrates monuit: *Principatum adeptus nullius improbi miniſterio utitor; nam quidquid ille deliquerit, tibi velut auctori imputabitur.* Incommodam ſibi, ſuíſque fecit Rempublicam Commodus Imperator, qui omnes velut inſidiatores à limine removebat, quos aut probitas, aut diſciplina ulla etiam mediocris illuſtraret. (l) Meliùs Imperio conſuluit Theodoſius, qui aulam ſuam veluti ſcholam inſtituit, in qua ſe ſuóſque ad pietatem exerceret. (m) Plures dent Superi nobis Theodoſios, nullum Commodum.

JOSE-

(f) *Lib. 8. Epiſt. 3.* (g) *Cic. in Cat. Maj.* (h) *Sen.* (i) *Ovid.* (k) *Horat.* (l) *Herodian.* (m) *Theodoret.*

JOSEPHUS
LEOPOLDI MAGNI CÆSARIS FILIUS.

BRevi lineâ longum complexi ſumus elogium.
Plus enim ſignificamus, quàm dicimus.
Ex Leone nonniſi fortiſſimus,
A Primo nulli gloriâ & felicitate ſecundus,
A Magno nec indole, nec virtute minor,
Ex ſtirpe Auſtriaca nonniſi optimus naſci potuit & debuit.
Diu quidem diſtulit cœlum dare, qui diu deſiderabatur;
Sed dare voluit donum perfectum.
Neque ſola potuit natura ſufficere;
In ſubſidium multis precibus advocanda erat gratia,
Ut DIGNUS MAGNO CÆSARE FILIUS procrearetur.
Decebat enim, ut miraculo propè par eſſet ejus nativitas,
Cujus vita non erat futura ſine prodigijs.
Primum accidit in Hungaria, (ceſſum.
Quando JOSEPHO I. datum eſt, quod nemini Anteceſſorum fuit con-
Anno ætatis nono, decumanam obtinuit prærogativam,
Regis non tantùm Apoſtolici, ſed etiam hæreditarij.
Bene egiſti Hungaria!
Tuam in Auſtriaco Capite tandem firmâſti coronam,
Ne impoſterum funeſtis inſtabilis fortunæ caſibus rotaretur.
Alterum in Germania contigit prodigium,
Quando JOSEPHUS re tenuit, quod alij vix ſpe conceperunt.
Non quòd virtus deeſſet, & merita;
Sed quòd tales eſſent afflictæ Germaniæ Ephemerides,
Quæ dies depoſitionis potiùs, quàm Feſta Exaltationis ſignarent.
Auguſtæ Romanum evectus eſt ad ſolium,
Ut illud firmaret, quando labefactare tentavit invidia.
Tenerâ manu arripuit ſceptrum Germaniæ,
Ut illud ſervaret, quando grandæva ambitio voluit extorquere.
Illuſtrior cum Patre in Imperio reſplenduit Filius,
Quando ſanguineam è vicinia nubem repentinus belli turbo induxit,
Et aurea luminaria ferreâ voluit tempeſtate exſtinguere.
Actum agitis, quicunque laceſſitis Auſtriacos!
Privilegium habent virtutis, quæ premitur, nunquam opprimitur;
Exal-

Exaltatur, dum in ruinam impellitur.
Fortunâ altior eſt Auſtria; hinc non quovis caſu rotatur.
Confirmatum eſt cor ejus in Domino;
Hinc non commovebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos.
Sed jam tertium maximúmque reſtat prodigium,
AUGUSTE REX!
Animus nempe tuus ſupra ætatem maturus;
Si vitia excipias, capax omnium;
Fortior, quàm ut ab hoſte terreri,
Conſtantior, quàm ut à fortuna moveri poſſit;
Laboris magis appetens, quàm quietis;
Ad Martem pariter & artem factus;
Æquè plenus ſapienti PATRIS CONSILIO, ac ſolerti INDUSTRIA;
Paternas inter victorias formatus ad triumphos;
Præter virtutem nihil amans, Præter DEUM nihil timens;
Magnâ denique LEOPOLDI mente nequaquam minor;
AMOREM in ſubditis, TIMOREM in hoſtibus;
In orbe toto admirationem excitat, & exſpectationem.
Quæcunque diſperſa per Auguſtos Principes ſuſpeximus,
Ea in animo Tuo collecta veneramur;
Criſpi nempe integritatem, Arcadij & Honorij religionem,
Ludovici pietatem, Othonis magnanimitatem,
Invictam Alberti Auſtriaci fortitudinem.
PLUS OMNIBUS UNUS.
Alia adhuc annis ſecuturis orbi dabis prodigia:
Inter quæ facilè hoc ſummum erit;
Quòd Auguſtiſſimum Parentem Tuum facies immortalem,
Quia de Te, quod Philippus de Alexandro, dicere poteſt:
Non moriar, quia, in quo vivam, in terra relinquo.
Interim à meritis encomijs ad pios affectus convertimur,
Et, quod laude cœpimus, fauſtâ precatione concludimus.
Vota pro Conſtantino Auguſto Conſtantij Filio olim concepta,
Pro JOSEPHO AUGUSTO LEOPOLDI M. FILIO iteramus.
Quamobrem Te, ſumme rerum Sator! oramus & quæſumus,
Ut hunc in omnia ſæcula Principem ſerves.
Fac, ut, quod optimum humano generi dediſti, permaneat æternum;
Omnéſque in terris degat ætates JOSEPHUS cum LEOPOLDO.
JOSE-

JOSEPHO PRIMO
INTER GLORIOSOS AUGUSTISSIMI GENITORIS TRIUMPHOS PARI VIRTUTE ET FELICITATE CRESCENTI,



Unus Pellæo Juveni non sufficit orbis. Juven:

Alexander Magnus inter illuſtres Philippi Macedonis Parentis ſui victorias educatus in theatrum adducitur.

Alexander Solus.

QUid me ſereni Principis nomen juvat,
Titulúsque Regis? quid nitens auro thronus,
Sceptrum pyropis fulgurans, rutilis micans
Diadema gemmis, & toga Oebalio rubens

Muri-

Murice? quid amplus Regiæ ſplendor domûs?
Quid fulcra Pario è marmore, è cedro trabes?
Quid ordo Procerum, & turba famulantûm juvant,
Si deſit unum & maximum Regis decus,
Mens digna Rege? Non color veſtis, nitor
Sceptri, coronæ ſplendor, auguſti lares,
Frequens miniſter, nec favor ſortis facit
Regem, ſed animus Regias dotes habens.
Quid, me Philippi Regis egregiâ ſatum
De ſtirpe, prodeſt? Magna Genitoris mei
Facinora, multis inclytus lauris honor,
Nomen triumphis celebre quid laudis parit,
Si non reſideat mente par virtus Patri?
Ut ergo dignus Regio videar throno,
Nulláque parte degener magni ferar
Soboles Philippi, bellicas laudes volo,
Et glorioſi facta Genitoris ſequi.
Generoſa virtus intimas complet fibras,
Et Martialis pectora incendit calor.
Victorioſos inter Heroës locum
Placet mereri, pérque certantûm globos,
Per fulgurantes enſibus cuneos virûm,
Per tela & ignes hoſtium gradi pede
Non indecoro, & Patrias lauros novis
Cumulare lauris. Sic Alexandrum decet.
Virtute clarus Genitor ô quantum decus
Eſt filiorum! Filius fortis ſui
Quanta eſt Parentis gloria! Hoc poſthac agam,
Ut, noſtra tantùm Geſta qui videt, ſciat,
Quâ ſim creatus ſtirpe, quo natus Patre.
Philippe Magne Genitor, Heroum jubar,
Lux alma Regum, Martis egregium genus,
Bellíque fulmen! Nominis ſplendor tui,
Et rara virtus ſemper hærebunt meo
Inſcripta cordi. Tendet huc omnis labor,
Tantum ut ſecundis exprimam Geſtis Patrem,
Ne ſim Philippo Magno Alexander minor.

JOSE-

JOSEPHI I. SYMBOLUM:
AMORE, TIMORE.

NOn ſemper fulminare, nec ſemper condonare Jovem decet. Perpetua venia, Numinis contemptum, & peccandi licentiam; continua fulmina horrorem, & crudelitatis ſuſpicionem inducent. *Medio tutiſſimus ibis.* (a) Neſcit regnare, non tantùm ille, qui nihil ſcit diſſimulare, ſed etiam, qui nil audet caſtigare. Nimius rigor ſubditorum animos exaſperat, immoderatus favor enervat. Amor ſine timore levis eſt, Timor ſine amore gravis. Illius proprium eſt ſuavem efficere juſtitiam, iſtius fortem reddere clementiam. Ille debet rotare ſceptrum, iſte vibrare gladium; Ille pacis olivam prætendere, iſte belli fulmina cudere; Ille parcere ſubjectis, iſte debellare ſuperbos. Sine iſto hebeſcit acies authoritatis, ſine illo fervor juſtitiæ plus æquo inardeſcit. Unus ſine altero Regiæ Majeſtatis interitus; conjunctus uterque Imperantium ſalus. Tarquinium Priſcum regno exuerunt Romani, quòd ſolo regeret timore. Nervâ verò imperante (procul dubio, quòd ſolo uteretur amore) dicere ſolebant, pejus eſſe Principi ſubjici, qui omnia, quàm qui nihil permitteret. Non tantùm crudelis eſt, qui parcit nemini, ſed etiam, qui veniam dat omnibus. Ut Medicum & multa funera infamant, & nulla præſcripta pharmaca; ſic Principi labem aſpergunt & nimia ſupplicia, & nulla ſcelerum vindicta. Urendum, ſecandum eſt, ubi mali pertinacia mitiora eludit remedia. Ferro & igne abſtinendum, quando vis morbi vel ſyrupo cedit, vel malagmati. Verum eſt Poetæ effatum: *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur Majeſtas & amor*; (b) Si de amore intelligas, qui timore deſtituitur. Neque falſa eſt ſententia Oratoris: *Nulla vis Imperij tanta eſt, quæ premente metu poteſt eſſe diuturna*; (c) Si de timore accipias, qui caret amore. Eximiè totam gubernandi artem complexus eſt, major reliquis morum magiſter, quia ſanctior, D. Gregorius, quando dixit: *Miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate, faciendúmque quoddam ex utraque temperamentum; ut neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſolvantur. Sit itaque amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus, quàm expe-*

(a) *Ovid. l. 2. Metam.* (b) *Ovid.* (c) *Cic.*

expediat, parcens. (d) Si in homines barbaro aut ferino more viventes exerceretur poteſtas, ſolus fortaſſis timor ſufficeret. Si in probos & ſapientes (qui ſoli ut homines vivunt) imperium tantùm gereretur, unico forſan opus eſſet amore. At, quia plerique feritatem exuunt humanitatem tamen non induunt, idcircò illi, qui ritè præeſſe vult omnibus, magnoperè curandum eſt, ut timeatur à ſubditis, & ametur. Non ſtat aliâ lege Politia, quàm natura. Hæc coaleſcit ex elementis inter ſe pugnantibus, quæ ſi certâ inter ſe temperie ordinentur, totum conſervant univerſum. Illa amore nititur & timore, qui, licèt ſibi invicem videantur contrarij, Reipublicæ tamen unitatem procurant, ſi caveatur in utroque: *Nequid nimis.* Amæna eſt harmonia, quæ ex ſono acuto & gravi, cantu duro & molli contemperatur. Neque ingrata ſubditis eſt principis gubernatio, ſi rigori juſtitiæ immiſceat ſeveritatem clementiæ, timorem amore moderetur. Bene meritis largiatur præmia, malos pœnis coërceat; exaltet virtutem, deprimat vitia; oppugnet hoſtes, cives defendat; fideles foveat, frangat rebelles; adulationes torvo repellat ſupercilio, ſed bona conſilia benigno auditu excipiat; pacem promoveat, ad bella paratus ſit; facilem cunctis exhibeat benevolentiam, ſupremam tamen non minuat authoritatem; beneficia liberaliter eroget, jura majeſtatis nulli communicet. Hæc ſi præſtat, amari meretur Princeps, debet timeri. Quia tamen difficile, inter duo extrema ſemper medium invenire, quid expedit, excedere amore, an timore? Auſtriacum cape reſponſum ex ore duorum teſtium omni exceptione majorum. Rudolphi I. verba ſunt *Severum & immitem me fuiſſe aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam.* Caroli V. effatum eſt: *Amorem ab amore provocari: nemini odioſum fore, qui benevolentiâ ſingulos compleEteretur.* Amor ergo timore eſt potior. Imò timor alius laude dignus non eſt, quàm qui naſcitur ex amore. Hic enim ſolus *Regna cuſtodit metus.* (e) Quem ſuperbia, injuſtitia, vel crudelitas gignit, plus facit ad everſionem, quàm Reipublicæ conſervationem. Hoc enim metu *Inviſa nunquam Imperia retinentur diu.* (f) Primus amori, proximus timori locus debetur. Hic ſequatur, ille præcedat, neceſſe eſt. Plus illi, minus huic à provido Principe tribuatur. Breviter, ſed bene Poëta Tragicus:

Decet timeri Cæſarem; at plus diligi. (g)

(d) *L.2.in Job.c.8.* (e) *Sen. in Oed.* (f) *Sen. in Theb.* (g) *Sen. in Octav.*

O. A. M. D. G.

SPECIAL 93-B
8614

GETTY CENTER LIBRARY

